



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dissertatio Theologica, Ad Mentem S. P. Avgvstini, De
Radice Intolerabilivm, scandalosarum, & in praxi
perniciosarum propositionum, à summis Pontificibus
Alexandro VII, & Innocentio XI. damnatarum**

Schweitzer, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, 1679

De malitia fornicationis & mollitiei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38917

facio, ut sim utilis fænerator? Attende, quid facit fænerator. Minus vult dare certè, & plus accipere: hoc fac & tu, da modica, accipe magna --- da temporalia, accipe eterna: da terram, accipe cælum. In Ps. 36.

Quod autem illi, qui præfatarum propositionum doctrinam ad praxin deducunt, taliter fænerentur, & usuram pallient, exspectantes reipsâ aliquid præcisè ratione mutui, patet intelligenti terminos propositionum, & quid sit usura.

Quadragesima-octava.

Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

Quadragesima-nona.

Mollities jure naturæ prohibita non est. Vnde si Deus eam non interdixisset, sèpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

Opponitur Doctrina S. Augustini.

Cum vero imaginem Dei, quod es tu, corrumpis in te per fornicationes, & per dissfluentias libidinis, attendis quia nullius uxorem accessisti; attendis, quia post uxorem tuam nihil fecisti, quia uxorem non habes: & non attendis per libidinem & illicitas fornicationes, cuius imaginem violasti? lib. de decem Chord. c. 10.

Nihil esse sentio, quod magis ab arce dejiciat animal virilem, quam blandimenta fæminea, corporumque ille contactus, sine quo uxor haberri non potest. lib. 1. soliloq. c. 10.

S. Au-

S: Augustinus lib. 3. Confess. c. 8. dicit; flagitia, quæ sunt contra naturam, ubique ac semper detestanda esse, ---- violatur quippe ipsa societas, quæ cum Deo nobis esse debet, cum eadem natura, cuius ille auctor est, libidinis perversitate polluitur. Et lib. 4. cont. Julian. c. 5. Quando autem male utitur homo membris bonis, nisi quando consentit eis, quæ in nobis habitant cupiditatibus malis? In quibus libido præ cæteris turpis est, cui, nisi resistatur, horrenda immunda committit. Quo male bene non utitur, nisi sola pudicitia conjugalis. Et ibidem c. 12. Elegerunt, id est Stoici, in pecoribus potius, quam hominibus, quod tu facis, laudare libidines. Eorum quippe opinioni convenienter ait quedam loco Tullius (se non putare, idem esse arietis & Publili Africani bonum) quâ magis sententia te oportuit admoneri. Et lib. 4. contra Julian. cap. 14. Nonne illi, id est libidini, totus animus & corpus impenditur, & ipsius mentis quasi submersione illud extremum e-
ius impletur? Et lib. 5. cap. 10. Quid enim cogitari potest tunc, quando mens ipsa, quâ cogitatur, illâ carnali delectatione submergitur? Lib. 14. de Civ. cap. 16. Cum sint multarum libidines rerum, tamen cum libido dicitur, nec cuius rei sit libido, additur, non sere afolet animo occurrere nisi illa, quâ obscenæ partes corporis excitantur. Hæc enim sibi non solum totum corpus, nec solum extrinsecus, verum etiam intrinsecus vendicat, totumque comovet hominem, animi simul affectu, cum carnis appetitu coniuncto atque permixto, ut ea voluptas

G

sequa-

sequatur, quā major in corporeis voluptatibus nulla est; ita ut momento ipso temporis, quo ad ejus pervenitur extreum, penē omnis acies, & quasi vigilia cogitationis obruatur.

Ex his satis constat, quod tam mollities quam fornicatio secundūm Augustinum non solum sit mala, quia lege positiva prohibita est, sed etiam intrinsecè & secundum se.

Quinquagesima.

Cesala cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

Doctrina S. Augustini opposita.

Secundūm doctrinam sanam mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit. ---- Si autem mortuus, hoc est de corpore exierit, evacuata est à lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. ---- Hæc verba Apostoli toties repetita, toties inculcata vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit. lib. 2. de adult. Conjug. cap. 4. Et ibidem cap. 9. Mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit. Ergo consequenter, & vir alligatus est, quamdiu mulier ejus vivit. Hæc alligatio facit, ut aliis conjungi sine adulteriâ copulatione non possint &c. Sed dum habetur copula cum conjugata consentiente ejus marito, vir vivit, & illa manet ipsi alligata; ergo vocanda est secundūm Augustinum adultera, & copula ista est adulterium. Confirmatur ex lib. de fide & oper, cap. 7, ubi S.

Pater